

lettera A B apparet,⁴⁾ ita trutinatam ac elucidatam, ut S. Ser^{tas} omnino speravit negocium hoc penitus sopitum ipsique capitulo perpetuum silentium circa hoc impositum esse. Eo praesertim perpenso, quod etiam personae ecclesiasticae (ab ordinariis impositionibus alioquin exemptae) ab huius modi contributionibus ob instantem necessitatem ad deffendenda confinia contra irruptionem Turcarum erogandis, omni iure et canonico et civili teneantur.

Verumtamen cum S. Ser^{ti} praeter spem secus evenerit nec huius rei finis esse velit, placuit eidem non obstantibus praedictis et reliquis omnibus alias contra ipsos canonicos eorumque machinationem ad longum deductis in solam gratiam S. St^{is} etiam cum detrimento S. Ser^{tis} in talem condescendere sententiam. Ut nimirum de caetero asserti canonici solum ad ordinarium, steurarum exsolutionem, eatenus uti caeteri teneantur, quatenus eorum bona in comitatu nostro Goriciensi sub nostra iurisdictione existentia pro rata communis oblationis atque impositionis tangit. Ita ut de reliquis eorum bonis sub dominio Veneto vel territorio Aquileiensi situatis nihil quicquam ipsi communitati Goriciensi contribuere cogantur, quinimo impositionis hebdomadalis (uti vocant) omnino immunes sint. Quae sane S. Ser^{tis} deliberatio cum iuribus suis et inveteratae consuetudini ipsius comitatus Goriciensis non parum deroget canonicisque multum tribuat, procul dubio S. Stⁱ non nisi grata ipsis vero canonicis gratissima esse debet. Placeat modo rev^{mo} nuncio S. Stⁱ hanc Ser^{tis} S. perbenignam resolutionem perscribere⁵⁾ eidemque disertis verbis insinuare, S. Ser^{tem} ad quis vota S. St^{is} esse promptissimam eidemque nihil non debere, sed praetensam exemptionem, maxime si eidem totaliter locus foret, per se esse talem, ut non solum S. Ser^{ti} et suis provinciis verum etiam toti reipublicae Christianae praeter modum praeiudicalis ac damnosa sit. Atque his tandem eandem S. Ser^{tem} rev^{mo} nuncio singularis benevolentiae affectum offerendo.

Wolfgang Schranz m. p.

P. Wanzl m. p.

⁴⁾ A: Extractus ex conventionione inter Venetos et patriarcham Aquileiensem cardinalem Ludovicum de Tek germanum, quod comiti Goritensi de mandato imperatoris fidelitatem iuravit et regalia patriarchatus ab eo recepit. Facta anno Domini 1445 (*Arch. Vat. Nunz. Germ. 100, f. 225^{rv} und 228^v*). B: Sententia Tridentina (*Ebenda f. 219^r und 224^v*).

⁵⁾ *Siehe Nr. 55.*